



20

1786, 24. 8

ORATIO
DE
INTEREVTIS
IVRISPRVDENTIAE HVMANIORIS
CAVSSIS

SOLLEMNIBVS MVNERIS AVSPICIIS

A. D. XXV OCTOBR. A. C. MDCCCLXXXVI

IN AVDITORIO IVRISCONSVLTORVM

RECITATA

A

CHRIST. GOTTL. RICHTERO

IVRISCONSVLTO ET ANTECESSORE

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA



ORATIO
DE
INTERVENTU
IURISPRUDENTIAE HUMANIORIS
CAUSIS

SOLLEMPNIBUS HONORIBUS AVS. CIVIS

A. D. XXV OCTOB. A. C. CLXXXXXVI

IN AULIS UNIVERSITATIS




CHRIST. GOTTL. RICHTER

PRINCIPALIS ET AUCTOR

LIPSIÆ

EX OFFICINA UNIVERSITATIS



QVINQVE VIRIS
ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS
SERENISSIMI DVCIS ELECTORIS SAXONIAE
IN SACRO CONSISTORIO
COMITIBVS
ACADEMIARVM SAXONICARVM
CVRATORIBVS SAPIENTISSIMIS
CVM
OMNIVM LIBERALIVM ARTIVM
ET
ELEGANTIORVM LITTERARVM
TVM
HVMANIORIS IVRISPRVDENTIAE
FAVTORIBVS AC PATRONIS
INDVLGENTISSIMIS
ORATIONEM HANC INAVGVRALEM
MAXIMA REVERENTIA
ET VERA DEVOTI ANIMI PIETATE
D. D. D
CHRIST. GOTTL. RICHTERVS

CHRISTE GOTTE RICHTERES
D. D. S.
ET VERA DEVOTI ANIMI PIETATE
MAXIMA REVERENTIA
ORATIONEM HANC IN AVGVRALEM
INVALENTISSIMIS
FAVORIBVS AQVAVRONIS
HUMANITATE PARSIVDENTIAE
TVM
ELLE GANTIORVM BITTERARVM
ET
OMNIVM LIBERALIVM ARTIVM
CVM
GVRA TORIBVS SATISFACTISSIMIS
ACADEMIARVM SAVONICARVM
COMITIBVS
IN SACRO CONSISTENTIO
SERENISSIMI DVCE REGIS SAXONIAE
ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS
OVINO VERIS



ORATIO
DE
INTERVENTIS
IVRISPRVDENTIAE HVMANIORIS
CAVSSIS

Illuxit tandem aliquando ille dies, Rector Academiae
Magnifice, Viri Summe Venerandi, Illustres, Ex-
cellentissimi, Consultissimi, Experientissimi, Amplif-
simi, Clarissimi, diuinarum humanarumque litterarum
Doctores Celeberrimi, Auditores suis quisque meritis
atque dignitatibus Ornatissimi, Commilitones generis no-
bili-

bilitate, ingenii humanitatisque laude Florentissimi, post integri triennii, ab acceptis Indulgentissimi Principis codicillis, et subsecuta paullo post sollempni inauguratione, *) interuallum atque cunctationem, post varios, quos deinceps domi expertus sum, casus, fortunaeque vicissitudines atque ludibria, vt rerum humanarum nimis fluxa est fragilisque conditio, post vanas atque inanes, quibus foris aliquoties sum lactatus, spes, vt incerti saepe sunt exitus, ac flexibiles hominum voluntates, illuxit, inquam, dies, mihi quidem gratus atque exoptatus, dicerem, iucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem, (praesertim tanto academiæ nostræ, et vniuersæ ciuitatis litteratae lumine hodie primo mane extincto, Frid. Imman. Schwarzio, quem ego puer olim in illustri schola Grimmana fidelissimum praeceptorem, ac postero tempore vsque ad extremum spiritum mei amantissimum habui,

a) Rescriptum, quo Serenissimus Dux Elector munus antecessoris extra numerum clementissime in me contulit, datum est a. d. XXVI. Mai. A. 1700. CCLXXXIII. Quo accepto publicatoque, deinde fidem meam de studiis patriæ mancipandis, quod ante sollempnia muneris adeundi apud iurisconsultos moris est, per litteras manu mea,

loco iurisiurandi, subscriptas obstrinxi a. d. V. Jul. eiusdem anni. Tandem, post duorum mensium absentiam redux, a. d. VI. Septembr. praesito sollempni religionis iureiurando, in confesso Illustris Iurisconsultorum Ordinis ad nouum munus rite sum inauguratus,

bui, rebus humanis erepto) ^{b)} quo mihi, homini licet quadragenario, et ciui academico quintum iam lustrum videnti, et doctori quatuordecim fere annos ius priuatim profitenti, haec obtingit felicitas, vt possim munus antecessoris, Serenissimi Principis Electoris auctoritate, in hac alma litterarum vniuersitate extra ordinem fidei meae ac qualicumque dexteritati clementissime commissum, more institutoque maiorum, Vobis tanta frequentia, tamque splendido confessu lactis me faustisque ominibus benignissime prosequentibus, casta piaque mente auspicari. In quo quidem munere, amplissimo sane atque grauissimo, mihi demandando viri illi, excelso atque illustri loco constituti, quibus academiae nostrae cura a Principe est concedita, hoc potissimum videntur spectasse, vt tum docendo, tum scribendo pro virili aliquid conferre adlaborarem ad propagandam ornandamque iurisprudentiam humaniorem, qua, exemplo antecessorum superioribus saeculis in Francogallicis academiis celeberrimorum, Cuiaciorum, Contiorum, Merilliorum, et aliorum huius generis, et apud Batauos Noodtiorum, Schultingiorum, Westenbergiorum, horumque similium,

b) Hanc lamentabilem vocem, cognito demum in conclau, vbi ante orationem proceres vtriusque reipublicae conueniunt, optimi

praeceptoris obitu, de quo antea nondum audieram, acerbissimus, qui inuasit animum, dolor mihi expressit.

um, exulta a multis inde annis Musae Lipsienses iure suo gloriantur. Atque hanc eximiam laudem ac praecipuam gloriam, a temporibus Mich. Henr. Gribneri,^{c)} Illustris Iurisconsultorum Ordinis quondam praefidis ordinarii, et fugientium e scholis iurisprudentiae humaniorum litterarum statoris felicissimi, maxime deriuandam, ac postea saluberrima Io. Matth. Gesneri,^{d)} et Io. Aug.

c) Gribnerus, primum in academia Wittebergenfi antecessor, post sanctiori tabulario Dresdae praefectus, Lud. Menkenio, vitrico suo, datus est successor A. 1706. Cuius viri vere magni, et longiore vita digni memoriam Car. Ferd. Hommelius *Orat. inaug. de Ordinariis Facultatis Iuridicae Lipsiensis p. 41. seq. edit. II. Lips. 1767. 8.* celebrauit hoc modo: *Gribnerus suo exemplo illam nimis rudem ac sordidam stolidioris turbae opinionem satis refutauit, iurisconsultum pragmaticum non posse litteratum esse. Vix enim in alio maior iuris, praesertim publici, aliarumque artium cognitio, vix acrior pulchri sensus. Nostis adhuc, et meministis bene, biblio-*

*thecam ab eo optimis et elegantioris potissimum litteraturae operibus cumulatissimam instructam fuisse, atque inde euentisse, ut ab his magistris, mortuis quidem, nec tamen mutis, quantum distent aera lupinis, addisceret, et diligens ingeniorum scrutator doctor, qui vere sunt, ab iis qui putantur, probe discerneret. Ceterum de hoc incomparabili iurisconsulto vide, praeter Car. Ott. Rechenbergii *Orationem parentalem Manibus Gribnerianis sacram Lips. 1735. fol.* Gottl. Aug. Ienichenii *Elogium Mich. Henr. Gribneri, in Contin. Notit. Auct. Iurid. Georg. Beyeri Lips. 1738. 8. p. 153. seqq.**

d) Gesnerus, ab Amplissimo huius vrbs Senatu ad scholam Tho-

Ernesti *) disciplina magis magisque auctam atque amplificatam, etiam nunc sunt, qui non dicam ore ac viva voce, sed scriptis ac tacita quasi disciplina constantissime tueantur, et posteris quoque tradere omni studio animique contentione enitantur. At enim neque omnes, neque in omnibus Germaniae academiis, qui studiosae iuventuti ad discendam iuris scientiam facem praeferre conantur, ad masculae et liberalis iurisprudentiae laudem

recta

Thomanam regundam vocatus, Lipsiam venit mense Septembri A. MDCCCXXX. Cuius adventu quanta commutatio tradendae apud nos humanitatis disciplinae facta sit, testis huius rei locupletissimus, Ernesti *Narrat. de Io. Matth. Gesnero ad Dau. Ruhnkenium, Opusc. Orat. p. 476. seq. edit. II. Lugd. B. 1767. 8.* memoriae prodidit his verbis: *Nec minus dixerim meritum de litteris uniuersis. Nam profecto etiam rectius ac melius de litteris humanioribus, earumque vera et iusta scientia, et latine scribendi facultate, iudicare, nostros homines coepit docere. Quae res ei etiam inuidiam apud nonnullos contraxit, qui cum in his litteris ante crediti*

essent excellere, eo cognito, magnam praesentis de se opinionis deminutionem factam sentiebant.

e) Egregiam disciplinae Ernestianae, cui Lipsia laetum humaniorum iurisperitorum prouentum debet, indolem breuiter sed eleganter, ut solet, descripsit Vir Clarissimus mihiq; amicissimus, Aug. Guil. Ernesti *Memoria Io. Aug. Ernesti Lips. 1781. fol. p. VIII. seq.* copiosius vero et ex instituto Car. Lud. Bauerus, scholae Hirschbergensis Rector celeberrimus, libro singulari, quo *formulae ac disciplinae Ernestianae indolem et conditionem veram pulchre et adaequate adumbravit, edito Lips. 1782. 8.*

B

recta via, et nobili mentis ardore grassantur, et viri docti, humaniorumque litterarum amantes de corrupta ac ieiuna his nostris temporibus iurisprudencia saepe multumque conqueruntur. Quibus crebris hominum egregie cordatorum querelis equidem commotus apud animum constitui, in causas intereuntis sensim paullatimque iurisprudentiae humanioris inquirere, non omnes quidem, quae commemorari possint ac debeant, f) neque enim hoc mihi, in semihorae curriculum coaecto et coangustato, plane exsequi in praesenti licet, et quaedam momenta, quae ad corruptelas istas penitus cognoscendas in primis spectant, adeo lubrica sunt, vt plus cautionis in dicendo, quam in scri-

f) De communibus huius mali causis, a docentium pariter ac discipulorum partibus repetendis, iam dudum dixerunt Ger. Noodtius *Diss. de causis corruptae iurisprudentiae, Tom. I. Oper. p. 616. seqq. edit. Lugd. B. 1735. fol. 10.* Gottel. Heineccius *Orat. de Iuriconsultis semidoctis, Opusc. Var. Syll. Hal. Magd. 1735. 4. p. 519. seqq.* Abrah. Wielingius *Orat. II. de Sanctione Pragmatica D. Caroli VI. Imp. edit. II. Trai. ad Rhen. 1743. 4. p. 34. seqq.* Hub. Greg.

Vryhofius *Orat. qua ostenditur, interiori iuris Romani notitiam in foro versaturis omnino esse necessariam, ad calcem Obseru. Iur. Ciu. Amst. 1747. 8.* et nosmet ipsi iam quaedam de hoc argumento paucis complexi sumus *praef. Wielingii Repetitioni Institutionum Iuris Ciuilis Lips. 1781. 8.* praemissa, et ad Em. Merillii *Orat. de tempore in studiis iuris prorogando, libello Wielingiano subiunctam, p. 335. seqq.*

scribendo adhibendum videatur, sed praecipuas quasdam, et moribus nostris, si quid hoc in genere video, maxime adcommodatas. Quod quidem argumentum, neque sollemnitati noui muneris adeundi alienum, neque honorifica tot litteratissimorum virorum praesentia indignum, neque ab vtilitatibus horum lectissimorum iuuenum, qui in spem parentum, propinquorum patriaeque in litterarum studia incumbunt, et in primis adprehendendae iuris disciplinae operam dant, rationibusque remotum, vt mihi, breui oratiuncula non tam plene persequenti, quam leuiter modo delibanti, beniuolas aures mentesque praebentis, a Vobis, Rector Academiae Magnifice, Auditores omnium ordinum atque dignitatum Spectatissimi, Commilitones Generosissimi atque Humanissimi, non quidem multis ambitosisque precibus contendo, sed potius a Vestro fauore, Vestraque humanitate ac beniuolentia certissime spero atque confido.

Humanior iurisprudencia quae sit, ac iure habeatur, Auditores, profecto non esse puto, quod multis declarum. Vnus enim quisque, vel audito nomine, iam sua sponte satis intelligit, eam artis nostrae tractandae colendaeque rationem indicari, quae cum artibus liberalibus, ac disciplinis, quae ad vniuersum politioris humanitatis ambitum pertinent, vinculo indissolubili arctissime nexa sit at-

que copulata. ^{g)} Iam humanitatis studia quibus finibus regantur, eorumque usus quam late pateat ad ceteras disciplinas omnes adcuratius percipiendas, et fructuosius excolendas, cum ab aliis, iisque praestantissimis nostrra patrumque memoria viris, tum in primis a Iac. Perizonio, ^{h)} Arn. Drakenborchio, ⁱ⁾ et Petr. Burmanno, ^{k)} magnis litterati Belgii luminibus, et a nostro Io. Aug. Ernesti, ^{l)}

g) Dignissimus est, qui de natura et constitutione humanioris siue elegantioris iurisprudentiae legatur humanissimus nuper in fororia academia iurisconsultus, et ordinis sui princeps, Ern. Mart. Chladenius *de ambitu elegantioris iurisprudentiae Witteb. 1747.* hoc nomine iam laudatus Io. Frid. Iuglero *Diss. de insignibus Germanorum in iurisprudentiam elegantiore meritis*, praemissa Bern. Henr. Reinoldi *Opusc. Iurid. Lugd. B. 1755. 8. §. I.* Confer Christ. Henr. Eckhardum *praef. Hermeneut. Iur.*

h) Perizonius *Orat. de usu atque utilitate Graecae Romanaeque linguae, eloquentiae, historiae, et antiquitatis in grauioribus disciplinis Lugd. B. 1693. 4. in Clarissi-*

morum Virorum Orationibus Selectis, quas collegit Io. Erh. Kappius, et edidit *Lips. 1722. 8. P. I. orat. VI. p. 135 — 178.* et in Perizonii *Orat. XII.* quas collegit F. G. Westhousius *Lugd. B. 1740. 8. orat. II. p. 51 — 102.*

i) Drakenborchius *Orat. de utilitate et fructu, qui ex humanioribus disciplinis in omne hominum et doctrinarum genus redundat Trai. B. 1716. 4.* et in Kappiana collectione *Orat. Select. P. I. orat. VIII. p. 214 — 253.*

k) Burmannus *Orat. in humanitatis studia Lugd. B. 1720. 4.* Lipsiensibus typis eodem anno repetita, et in Kappii *Orat. Select. P. I. orat. X. p. 287 — 333.*

nesti,¹⁾ communi Germaniae praeceptore, satis superque fuit demonstratum. Quibus litteris nisi quis probe imbutus ac praeparatus ad iuris scientiam discendam accesserit, resque arctissimis vinculis coniunctas atque consociatas, id quod e nostratibus complures iam pridem egregie docuerunt,^{m)} contra naturam disiunxerit ac separauerit, is per omnem vitam in recti iustique scientia, ingenua illa atque liberali, spississimis quasi in tenebris ac densissima caligine oberrabit. Qui igitur splendidum iurisconsulti nomen

B 3

ali-

1) Ernesti *Prolus. de finibus humaniorum studiorum regundis Lips. 1738.* redacta in compendium in *Clau. Cic. Ind. Latin.* sub voce *Humanitas*, et *Orat. de humanitatis disciplina, Opusc. Orat. p. 3—19.*

m) Plerique, qui de vtili ac necessaria humaniorum litterarum cum iurisprudentiae studio coniunctione ex instituto disseruerunt, laudati inueniuntur apud Io. Sal. Brunquellum *Diss. praelim. de linguarum, philosophiae, antiquitatum, et historiarum studio cum iurisprudentia iungendo, Hist. Iur. Rom. Germ. praemissa §. II.* collata eiusdem *Isagoge in*

vniuersam iurisprudentiam, Opusc. Hal. Magd. 1774. 8. Tom. II. p. 992. seqq. Quibus adde Ios. Lud. Ern. Puttmanni, *Viri Consultissimi, Prolus. de caeca et illiberali sine arte critica et humanioribus litteris iurisprudentia Lips. 1762. et Var. Opusc. Syll. Lips. 1786. 8. p. 63. seqq.* nec non Frid. Platneri *Epist. ad Io. Aug. Bachium pro iureconsultis, qui litteras humaniores contemnunt Lips. 1750.* qua quidem, imitatione, opinor, Burmanni in oratione supra laudata, illum lepida diffinitione vsus esse, vix opus est monere.

XIV

aliqua cum laude vult atque dignitate inter viros doctos tueri, neque apud rudem modo plebeculam, et imperitam multitudinem, citra meritum, ita salutari, is, praeter adcuratam vtriusque linguae cognitionem, sine qua iuris nostri fontes, graecis latinisque litteris perscripti, nec rite intelligi, nec digne explanari queunt, et testem temporum, lucem vitae, historiam, cum exquisita antiquorum morum institutorumque notitia coniunctam, sine qua omnis omnino iurisprudencia caeca est, in primis solidae philosophiae, sine qua scientia nostra prorsus friget, praeceptis ac doctrinis, et mathematicis quoque disciplinis, quae ab humanioribus litteris vulgo quidem, sed inepte, disiunguntur, perpolitum ingenium subactumque iudicium ad artem nostram adferre debet, atque huiusmodi verae eruditionis praesidiis instructus, his necessariis adcuratae doctrinae adminiculis subleuatus, dux et auctor esse poterit iuuenibus, qui iuris scientiae addiscendae causa in academiam venerunt, praesertim cum e scholis iurisconsultorum prodeant non caussarum modo patroni ac iudices, sed etiam, qui summam rempublicam domi militiaeque in partibus sibi concreditam aliquando sint administraturi.

Quae cum ita sint, Auditores, nemo profecto mirabitur, humaniorem ac liberaliorem iurisprudenciam in multis Germaniae academiis ad interitum inclinare,
et

et Musas manfuetiores paullatim fugere Themidem nostram, eamque solam, sine cultu, sine ornatu, tristem, miseram, squalidam atque asperam relinquere. Quotus enim quisque in rebus academicis adeo hospes est et peregrinus, qui ignoret, multos, illis, quas dixi, dotibus fere omnibus plane destitutos, docendae iurisprudentiae prouinciam proterue inuadere, qui ad quamcumque artem tradendam, et maxime ad nostram, grauiissimam illam ac latissime patentem, disciplinam minus idonei, ne dicam plane inepti, omnium, qui sapiunt, iudicio existimantur; qui, velut agyrtae et circulatorum, quos tempore mercatus ante portam Petrinam, ruricularum, meretricularum, aliorumque de infima populi faece hominum caterua stipatos, nugari praetereuntes audimus, inficetac ac ridicula docendi ratione vtuntur; quorum scripta, irata Themide inuitaque Minerua crebro in publicum protrusa, si legimus, nouum plane orationis genus, quod priscis illis glossographis, Bartolis, Baldis, Accursiis, huiusque farinae aliis barbarae iurisprudentiae coryphaeis, facile dubiam reddit palmam, et heri aut nudius tertius apud Tunetanos Tripolitanosue, adeo horridum atque inconditum, et puriori latinitati aduetis plane insolitum est, natum videtur, adtoniti obstupescimus.ⁿ⁾ Atque ipsi

n) De litterarum latinarum peritiam, iuriconsulto maxime necessaria, egregius locus occurrit in Ernesti *Memoria Io. Gottfr. Baueri*,

XVI

ipsi illi Thrasones litterarii, qui in quibusdam Germaniae academiis, velut noui Atlantes, totius caeli iuridici machinam humeris se suis sustentare sibi persuasum habent, et

Baueri, Opusc. Orat. p. 405. seq. quem hic adscribere operae pretium duxi. In eo, inquit, plurimum prouisum est a parente, quod filii ingenium litterarum humaniorum disciplina bene subigendum curauit, in primis a Crello, scholae Nicolaitanae in hac urbe Rectore, de cuius in eo genere felici artificio superuacuum sit dicere, et diximus alias. Et litteras in primis latinas in illius viri disciplina ita didicerat, ut ex iis in discendo iure plurimum inuaretur, easque ita adamauerat, ut ad extremum earum amorem conseruaret. Nam etsi ipse, ut fateri solebat, tractandis iuris partibus iis diligentius, quae a barbaris ortae, latinitatis elegantiam non capiunt, ut feudali, elegantiam scribendi perdidit: tamen rem ipsam laudabat et commendabat, ac negabat, sine multis litteris latinis ius bene disci,

leges veteres a Romanis ortas recte intelligi et explicari posse, libenterque utebatur consuetudine eorum, qui earum litterarum peritiores essent, nec male iudicabat de virtutibus orationis latinae, et cuiusque de recentioribus in eo genere facultate. De inepto autem illo scribendi genere, e supina latinarum litterarum negligentia orto, Perizonius oratione supra laudata p. 60. edit. Lugd. B. haec habet: Quae scribigo, quam foeda illuvies obfidere debet eorum sermonem et scripta, qui publicae, vel sua voluntate, vel necessario, utuntur lingua alienigena, et ex antiquis saeculis repetenda, cuius tamen non modo elegantiae aut eloquentiae vel tantillum attenderunt, sed ne quidem ipsam didicerunt phrasin, aut ipsam vocabulorum significationem et usum.

et ipsa iurisprudentia prudentiores sibi esse videntur, °) de plurimis argumentis, quae illotis manibus adrectare sustinuerunt, ita scripturiunt, vt siue integri libri, siue academicae disputationes ab illis editae merum rus oleant, summumque legentibus, licet patientia satis armatis, tedium obrepat. Iam vero noui illi et subitanei iuris, si diis placet, doctores, vna dissertatione inaugurali, ex aliis misera diligentia impudenter exscripta, et intermixtis impurae et tortuosae orationis stribiginibus vtcumque defen-

o) Ventosissimos illos insolentissimosque homines, capitales reipublicae litterariae, et praecipue academiaram pestes, viuis quasi coloribus depinxit, et urbano dicendi genere omnibus irridendos exhibilandosque propinavit Puttmannus noster, Vir litteratissimus, et humanioris iurisprudentiae ornamentum, *Comment. de Thrasonismo litterario Hal. 1782. g.* qui etiam alios de hoc genere scriptores praef. p. 4. et in ipso libello passim larga manu suppeditauit. In qua quidem commentatione, tanquam in speculo, imaginem suam intueri possunt

vani quidam ostentatores, et immodici ingenii sui laudatores, qui, effroni impudentia turgidi, se solos sapere, et per ora hominum volitare, in circulis palam iactant, ceteros vero fungos esse stipitesque putant: quorum absurdae et insulsae garrulitati, quae illis in docendo familiaris est, quamuis vix plebeiae muliereulae aures fatigandas permetterent, liberales adolecentes, nimia credulitate decepti, et quasi torrente quodam communis stupiditatis dicam, an leuitatis abrepti, excussa omniaurium elegantia, ingenia corrupenda tradunt.

C

XVIII

defensa, celebritatem nominis, atque immortalem gloriam consecuti, qui vix mediocrem iuris scientiam e vulgaribus compendiis sibi adquisuerunt, variis artibus ac machinationibus optimos iuvenes pellicere, operam suam parua mercedula locare, e dictatis, partim praeceptoribus suis surreptis, partim e sexcentis disputatiunculis et commentariolis misere compilatis, aliquid garrere, de vsu forensi promissiones nescio quas facere, fontes iuris, quos ipsi legere et interpretari, propter crassam graeci latinique sermonis ignorantiam, nequeunt, contemnere, omnemque sapientiam ad compendia reducere, memoriam discipulorum definitionum ac diuisionum farragine obruere, verbo, nihil omittere, quo minus adolescentium, qui caeco quodam impetu ad tam ineptas scholas delati sunt, ingenia, ad veram sapientiam in omni vita profuturam fingenda atque informanda, irreparabili ipsorum damno, plane corrupta deleantur. Huc accedit, quod, vt pluribus documentis satis compertum habeo, in quibusdam academiis dominatur, ac veluti pestis in tenebris grassatur mysterium quoddam malitiae atque iniquitatis, cum tenebriones quidam, ad pristinam, et dudum feliciter depulsam barbariem restaurandam diis iratis nati, qui tamen tenui sua scientia apud ignobile vulgus nescio quam auctoritatem obtinuerunt, et ad quorum tribunal litterarium, quasi Minoc, Aeaco et Rhadamantho ab inferis in orbem iuridicum euocatis, obsecuri

furi terrae filii contremiscunt, quos maxime debebant
 nouis in academia aduenis, ad prima litterarum et iuris
 scientiae fundamenta rite iacienda, prae ceteris commen-
 dare, et tamquam rectissimae et tutissimae viae duces com-
 monstrare, eos ipsos occultis ac nefandis, quae lucem
 fugiunt, artibus deprimere, debitis laudibus maligne pri-
 vare, eorum scholas adolescentibus, turpiusculae frau-
 dis ignaris, quasi nihil inde ad vitam ciuilem, exercitatio-
 nemque forensensem utilitatis capere possint, suspectas red-
 dere nefarie conantur, qui denique, ne quid improbi-
 tatis desit, etiam in ipsos praeceptores suos, quibus omnem
 suam scientiam, cuius tarda et obtusa illorum ingenia
 fuerunt capacia, acceptam referre debent, et e quorum
 institutionis fontibus arida prata sua irrigare potuerunt,
 abiecto omni pietatis gratique animi sensu, acerbitate et
 rabie furere, morsuque viperino saeuire consueuerunt.
 In hos tales cadit sane illud Liuii, p) cum *nulla*, inquit,
*ingenia tam prona ad inuidiam sunt, quam eorum, qui ge-
 nius ac fortunam suam animis non aequant: quia virtutem
 et bonum alienum oderunt.* Huic malignitati quorum-
 dam, ac perniciosae optimum quemque suppressendi ca-
 villandique consuetudini, quae tamquam infelix arbor,
 in bonorum perniciem, fundique nostri opprobrium
 scelerata manu fata, altas radices egit, maxime tribuen-
 dum

C. 2

p) Liuius *Lib. XXXV. c. 43.*

dum esse arbitror, quod scholae humaniorum iurisconsultorum desertae propemodum ac derelictae iacent, et, repudiatis contemptisque Cuiacii imitatoribus, et Cuiacianae formulae ac disciplinae sectatoribus,^{q)} ad Forcatulos nostrae

q) Meam de hoc contemptu sententiam candide aperui literis ad Illustrem Iurisconsultorum Ordinem a. d. V. Iun. A. c160cc1xxx11. datis, quas, pluribus rationibus commotus, hoc loco integras adponendas existimaui.

»Etsi multis multorum sermonibus satis compertum habeo, »post fata Viri Summe Reuerendi »et Illustris, Frid. Gott. Zollerii, »complures iam, agmine quasi »facto, ad Vos confluisse, Vobisque preces ore scriptisque »exposuisse suas, meritis quaeque suis plus minusue innixum: »nihil tamen minus et ego nomen quatumcumque meum in »iis profiteri sustineo, qui, fiducia doctrinae viriumque destituti, non tam arduum professoris munus ambiunt, quam, »dulci futurae fortunae spe ad-

»lecti, Serenissimo Principi, Eiusque amicis sapientissimis per hanc »opportunitatem innotescere, ac »per Vos de meliori commendari cupiunt. Qui enim meus »fuit pudor, et exigua de literis qualibuscumque meis opinio, cum in musei mei velut »latebris hucusque semper delituerim, neque quidquam publici muneris umquam adpetierim: ne prorsus sempiterna obliuione quasi sepultus iacerem, »sed, post longam moram, diuturnumque silentium, tandem »aliquando in publicam lucem »prodire auderem, opportuna »huius temporis occasio, rerumque mearum ratio suadere videbantur. Iam vero, desertis praceptorum scholis, relictisque discipulorum subsellis, quid per »plures annos, nullis in academiis »praemiis excitatus, e re academica

nostrae aetatis tam incredibiles concursus sunt, tantoque adplausu hebetes et rudes vulgaris et proletariae scientiae doctores cateruatim excipiuntur.

Quid porro? Auditores, quale illud esse dicam, quod in hac litterarum luce, et in tanta optimorum librorum abundantia, nihilo minus sunt, quibus viliora splendeant, meliora fordeant, qui, frugibus repertis,

C 3

glan-

»mica egerim, non est, quod
 »longa commemoratione, mul-
 »tisque verborum ambagibus Vo-
 »bis exponere instituiam. Vestris
 »enim in oculis, et totius acade-
 »miae perlatus sum, superbaque
 »meritorum, si qua sunt, quae
 »scio quam sint exigua, praedica-
 »tio ingenio moribusque quam
 »maxime aduersatur meis. Do-
 »cendo iuuentutis litterarum stu-
 »diofae rationibus pro virili con-
 »sulere conatus sum, plus for-
 »tasse, si turba saperet, vtilitatis
 »praesliturus. Paucis et intelli-
 »gentibus inferuire, satis fuit,
 »exemplo Ioach. Camerarii, cum
 »quo viro tamen me vilo modo
 »comparare, sine summa arrogan-

»tia, non possem, ad animum
 »mihi saepe reuocato. Scribendo
 »etiam apud doctos famam quae-
 »siui, eamque hoc in genere mihi
 »ipse legem scripsi, ad hunc vs-
 »que diem religiose seruata, vt
 »non multa, sed multum proferre
 »adlaborarem, ratus, vt est, ni-
 »hil esse stultius, quam scribendo
 »famam perdere. In his angu-
 »stis igitur meorum de re acade-
 »mica meritorum finibus, nihil
 »amplius a Vobis in praesenti hu-
 »manissimis precibus petere au-
 »deo, nisi hoc, vt splendidissimis
 »aliorum celeberrimisque no-
 »minibus etiam meum, licet ob-
 »scurum, neque vlla claritate con-
 »spicuum, beniuole addere, res-
 »que

glandibus vesci malint. Iuuentutis litterarum studiosae maxime interest, praestantissimos in omni disciplinarum genere auctores, ad imbibenda prima cuiusque artis elementa, in manibus habere, hisque magistris initiari, ac sensim sensimque ad altiora praeparari, vt, si ingenii alacritas, iudicii maturitas, et diligentiae adfuit accesserint, e mystis aliquando epoptae efficiantur, et in ipsa doctrinarum adyta intimosque recessus immittantur. Qui
vero

»que meas iis, quibus a nostro
»Indulgentissimo Principe salus
»Academiarum concredita est, et
»iam atque etiam commendare
»velitis. Quibus precibus si Vos,
»vt Vestra in me beniuolentia me
»certissime sperare iubet, locum
»benigne concesseritis, fatis felici-
»tatem me beatumque praedicabo.«

Cumulate vero tunc Collegium Iuriconsultorum illis precibus locum concessit. Iam, quoniam his litteris ad locum quemdam Camerarii respexi, etiam hunc addere haud grauabor. Scilicet summus ille vir *Epistolarum*, quarum post ipsius obitum filii ediderunt volumina duo *Francof. 1583. et 1595. 8. Lib. VI. Vol. I.*

p. 461. ad Hieron. Wolfium ita scribit: Ego iam dudum et nostra studia contemni, et parui fieri operas, et negligi doctrinam, acquisitissimo animo fero. Nihil tamen minus diligenter in his colendis versor, quamuis paullo post paene interitum his impendere vaticinetur noster Cyprianus quoque. Atque eos, qui non cupiant me audire, plus damni facere existimo, quam me, cuius scholas non frequentent. De his igitur nos consolemur, ne nos afflictemus, neu animum despondeamus, secundum Plautum. Conf. Ernesti Orat. de conuersionibus eloquentiae, Opus. Orat. p. 63. seq.

vero libros classicos, et litterarum ornamentis tamquam luminibus distinctos e iuuenum manibus extorquent, contra in eorum locum proletarios, et ab omni elegancia adcurataque doctrina plane alienos substituunt, ii profecto, ne quid grauius dicam, laudabili adolescentium discendi cupiditati, et futurae vitae rationibus non optime consulere videntur. Nam, vt est in notissimo Horatii ^s) versiculo,

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem

Testa diu.

Itaque, cum hac nostra aetate, et in hac studiorum iuris prudentiae peruersitate atque corruptione aut raro, aut numquam in ipsos iuris ciuilis fontes recitationes instituantur, quae docendi ratio apud maiores nostros fere sola obtinuit: feligendi saltem sunt ad lectiones academicas, cum insignis vtilitatis vbertate habendas, tales libelli, qui ex fontibus hausti sint, et ad fontium puritatem atque dulcedinem quam proxime accedant. Sic, vt hoc exemplo vtar, cum ante aetatem Gribneri, quem iam iterum honoris causa nomino, in tradendo iure ciuili, secundum ordinem Institutionum pariter ac Pandectarum, Lud. Menkenii libros nostrates in deliciis haberent: Gribnerus, quamuis necessitudinis vinculo Menkenio iunctus, et in munere antecessoris primarii successor,

r) Horatius *Lib. I. epist. 2. v. 69.*

for, tamen primus fuit, qui Heineccio, cuius *Elementa paullo ante in Belgio, vbi vir cultissimus tum temporis apud Frisios magna celebritate ius profitebatur, primum prodierant,*^{s)} ius ciuitatis academicae in hac alma Musarum sede donaret, cuius praeclarum exemplum in animis ceterorum doctorum, crasso sub aere haud natorum, eam vim auctoritatemque habuit, vt, perspecta horum librorum praestantia atque vtilitate, illud certatim imitentur. Nostra aetate quid demum haec tropica instituerit, quid, bono Heineccio proscripito et exterminato, et in quadam Bartolidarum familia iamiam obliuionis quasi tenebris sepulto,^{t)} Hellfeldianismo, siue, quod idem

s) Primas Heineccianorum Elementorum editiones excepisse deinceps plures alias non modo in Belgio, sed etiam in Germania, e Bibliothecis Iuridicis abunde constat. Hoc vnum notasse sufficiat, *Elementa Iuris Ciuiliſ secundum ordinem Pandectarum* multo, quam antehac, emendatiora edita fuisse *Trai. ad Rhen. 1772. Tom. II. 8.* Quam editionem in primis commendat errorum, partim ab ipso auctore nimis festinante, partim ab operis commissorum, a viro docto, cuius modestia

nomen celari voluit, facta emendatio. Praeterea in legum atque paragraphorum numeris, et titulorum adnotationibus, perperam laudatis, plurimae mendae sublatae, et leges nonnullae, ad probandas sententias necessariae, additae sunt, demtis aliis, sine causa adscriptis.

t) Gottfr. Sellius *Vindic. Method. Heinec. Trai. ad Rhen. 1734. 8.* in epilogo p. 165. Heineccium ita adloquitur: *Tuto semper contemnere perge, Illustris Heinecci, cuiuscumque generis omnia, quae forte*

idem est, barbarismo in iure civili aditum ad hanc nostram academiam pro pudor! patefecerit, multa proferri in medium disputarique possent, nisi et temporis angustiae, quibus circumscriptus sum, orationis cursum impedirent ac sufflaminarent, et verendum esset, ne cupidius magis, quam verius, a nobis dicta esse viderentur. Nolite tamen mihi, qui liberalissimarum artium scientia non

male

forte in posterum in celeberrimum nomen tuum protrusa experiri potueris, calumniarum exempla. Aderunt ubiuis terrarum, praefloque aderunt magni nominis tui cultores ingenui, qui, si opus visum fuerit, pro meritis statim expendant, praecipitique nouem per iugera saltu pulsant tam inutile in re litteraria fucorum genus. Quibus tamen displicent Heinecciana Elementa Iuris Ciuilis, siue propter methodum axiomaticam, siue propter alias rationes, iis adrideant Io. Ortii Westenbergii Principia Iuris, tam secundum ordinem Institutionum, quam secundum ordinem Digestorum seu Pandectarum, in vsum auditorum vulgata,

et non solum a Batauis aliquoties impressa, sed etiam a Germanis typis renouata, vel Corn. van Eck Principia Iuris Ciuilis, secundum ordinem Digestorum, quorum editio quinta excusa est Trai. ad Rhen. 1724. 8. et procul dubio etiam recentior exstat. His ducibus eximiiis viam praeeuntibus, praeclaram, et e limpidis legum fontibus, sine admixtione aliorum iurium, deductam iuris ciuilis cognitionem, etiam in foro versaturis olim frugiferam, docentes tradere, discentes percipere possunt, neque ideo opus habent ad eiusmodi libros rursus cursum flectere, qui toti sunt foedae barbariae fordibus oppleti.

D

male praeparatum pectus ad iuris disciplinam adtuli, v) vos, omnis munditiae et elegantiae ofores, et alienae bar-

v) Cum iuuenis duodeuiginti annorum in eo essem, vt, honesta missione ante exactum sexennium a supremo senatu ecclesiastico impetrata, Musis Grimmenfibus valedicerem, Io. Tob. Krebsius, post Schwarzii ad Penicenses discessum, scholae provincialis Rector meritissimus, redita illi, vt adhuc bene memini, pecunia, ad emenda vtriusque Senecae opera exempli Gronoviani mihi mutuo data, me percontatus est, quo vitae genere, absoluto studiorum academico-
rum curriculo, deinceps essem vsurus? Cui eum respondiſsem, parentes quidem me, quem quodam opinionis errore sacris litteris operam daturum crederent, muneri sacro destituisse, sed me ipsum velle primum causis in foro orandis vacare, et successu temporis fortasse praefectum iuris dicendi in terris Schoenburgicis euadere: tum ille subridens, ita

vero tibi, inquit, in academia, praeter copias forensis iurisprudentiae ex Hoppio vestro, vel Lauterbachio colligendas, et formulam iudicariam memoriae infigendam, aut nihil aut parum amplius discendum restat; quin tu potius, si eo, quo apud nos coepisti, tramite perrexeris, aliquando professor iuris fies. Hoc ante hos tres et viginti annos Krebsius futurum praedixit, et, quod nunc vsu venit, cecinit vt vates. Quibus autem causis inductus optimus praeceptor de me in illa aetate tam praeclare senserit, et, vt nunc euentus comprobatur, haud vanus augur fuerit, id patet ex honorifico elogio, quo me manu sua potestateque dimissum, et ad patrios lares reuertentem amantissime fuit prosecutus. Quod, non inanis gloriolae cupiditate incensus, sed vt illis, qui omnes alios ex se metiri solent, harum tabularum fide constaret, qui-

barbariae imitatores, irasci, et date hoc iustae indignationi
meae, vt cum Horatio *) alta voce exclamem :

D 2

O mi-

quibus litteris in illa pulcherrima
Scholae Grimmanae disciplina tin-
ctus atque imbutus ad tirocinium
iuris accefferim, simulque vt piis
Manibus viri de me optime me-
riti perenne grati animi moni-
mentum ponerem, hoc loco in-
tegrum exhibendum putauit.

»In iuuenibus indolis hone-
»stae, rectique amantis iudicium
»non fallax est, si in aetate adhuc
»decliui ita vitae suae, studiorum-
»que literarum rationem institu-
»unt, vt, quod officii sit, id non
»poenarum metu coacti, sed vir-
»tutis amore inuitati faciant, et
»cum voluptate, maiorique adeo
»fructu praestent, quod ex offi-
»cii, legumque ratione praestan-
»dum erat. Quo rarius autem
»iuuenes, pro leuitate animi offi-
»cii sui plerumque immemores,
»et negligentes, hac amabili vir-
»tute ornatos deprehendimus, eo
»maiori amore complectendi, ma-
»iorique laude condecorandi ii-

»sunt, in quibus generosa haec,
»et erecta animi indoles conspicit-
»tur. In horum iuuenum cen-
»sum omni iure referendus est iu-
»uenis ornatissimus,

CHRISTIANVS GOTTLOB
RICHTERVS

LICHTENSTEINIO SCHOEN-
BURGENSIS

»qui ex eo inde tempore, quo
»disciplinae nostrae, institutioni-
»que commissus est, nihil prius
»sibi, antiquiusue habendum pu-
»tauit, quam hoc, vt discipuli
»pii, probi, obsequentis, dili-
»gentis, modestique officio satis-
»faceret, et praeceptorum respon-
»deret votis. Cum igitur pieta-
»tis, virtutis, omnisque hone-
»statis fuerit studiosissimus, et
»in liberalibus artibus colendis
»perquam assiduus; non solum
»omnium praeceptorum suorum
»sauiorem sibi, amoremque con-
»siliauit, sed ea etiam doctrinae
»subi.

no O imitatores, seruum pecus, vt mibi saepe
 • Bilem, saepe iocum vestri mouere tumultus!

Neque

»subsidia sibi comparauit, quibus
 »adiutus magno cum fructu in
 »ademia sublimiores doctrinas
 »rite percipere, suoque tempore
 »reipublicae saluberrima officia
 »praestare possit. Et in latina qui-
 »dem lingua eam scribendi facul-
 »tatem assecutus est, vt, si quis
 »latine scriptum quid ab eo lege-
 »rit, magnam ei cum Cicerone
 »familiaritatem intercedere, facile
 »intelligat; in graeca autem lin-
 »gua profecit ita, vt paucos com-
 »milionum suorum haberet pares,
 »quod perquam rarum in iuvene,
 »iurisprudentiae sese coascera-
 »turo: nec linguae gallicae stu-
 »dium neglexit. Initia autem
 »disciplinarum altiorum, theolo-
 »giae, logices, rhetorices, ma-
 »thematices, historiasque et fa-
 »erae et profanae ita percepit,
 »vt, his fundamentis rite iactis,
 »in academia in colendis iis, ae-
 »curatiusque percipiendis facile,

»feliciterque versari possit. Cum
 »autem hic iuuenis ornatissimus
 »iam sit in eo, vt, curriculum
 »scholasticum emensus, stadium
 »academicum ingrediatur; rem
 »iustam, bonisque literis debi-
 »tam facturos nos esse putauimus,
 »si eum patronorum liberalitati,
 »munificentiaeque diligentissime
 »commendaremus. Humanissime
 »igitur harum literarum lectores
 »humanissimos, bonarum etiam
 »literarum nomine, rogatos vo-
 »lumus, vt hunc optimae spei iu-
 »uenem suo fauore, iuandique
 »studio amplectendum sibi arbi-
 »trarentur. P. P. in illustri Mol-
 »dano a. d. XVII. Sept. A. R. S.
 »MDCCLXIII.«

x) Horatius *Lib. I. epist. 19.*
v. 19. seq. vbi Guil. Baxterus haec
adnotauit: et serui et pecudes ad
alienum praescriptum viuunt; asi-
nos intelligit.

Neque hoc silentio praetermittendum esse reor, Auditores, eas institutiones, quibus ad humaniorem iuris prudentiam adolescentibus via et aditus munitur, saepe ab illis occupari, qui a litteris, quibus est ab elegantia et humanitate nomen, aut plane alieni sunt, aut quorum studia certe nondum ad maturitatem proeecta esse videantur. Quod, ne gratis dixisse videar, nulla re manifestius, quam vulgari et superficiali historiae iurisprudentiae Romanae, in plerisque iurisconsultorum scholis, enarrandae ratione, comprobatur. Historia Romanae iurisprudentiae, ab ortu aeternae urbis, quae maximam cultioris Europae partem etiam nunc legibus regit suis, huncque dominatum, nisi me mea penitus fallit coniectura, perpetuo exercebit, usque ad interitum Byzantini imperii, maturae ac profundae eruditionis, multaeque ac variae lectionis hominem, qui arduissimam cum interioribus litteris familiaritatem contraxerit, requirit. Etenim primum et ante omnia praecognitam habere debet accuratam iuris graeci, maxime Attici, notitiam, propterea quod, ut inter omnes satis constat, multa e Solonis axibus, aliorumque inclitae apud Graecos famae legumlatorum functionibus Romam migrarunt. Deinde statum publicum Romanorum, sub regibus, sub consulari imperio, sub nutu arbitrioque vnus, siue gentilium superstitioni addicti, siue Christiana sacra professi, per tot saeculorum interuallum, tantasque conuersiones atque vicissitudines,

ex ipsis rerum Romanarum graecis latinisque auctoribus ad vnguem tenere debet. Tum veteris diuersarum sectarum philosophiae praecepta, quibus vel imperatores, vel urisconsulti innutriti fuerunt, et doctorum ecclesiae varias, et saepe inter se dissidentes sententias, et praedicatarum opinionum auctoritates, quibus principes Christiani in republica domi forisque administranda, et legibus maxime ferendis regi se, nec raro pro libidine et mero arbitrio antistitum ciuitatis Christianae volentes duci, atque etiam nolentes trahi passi sunt, in numerato habere debet. y)

Quam

y) Iurisprudentiae historicae studiosis, ad verum in his rebus acutius videndum, etiam atque etiam commendamus Ed. Gibboni egregium opus, quod inscribitur, *The History of the Decline and Fall of the Roman Empire*, cuius recentissima editio lucem vidit Lond. 1783. Voll. VI. 8. cap. XX. seqq. cui vt dignus tanto historico inter populares nostros interpres, neque inhonestae villius librarii, cauillationi obnoxius, quamprimum contingat, boni publici causa serio optamus: item scriptoris anonymi *Histoire des Révolutions, arrivées dans*

le Gouvernement, les Loix et l'Esprit humain, après la conversion de Constantin jusqu'à la chute de l'Empire d'Occident Hag. Com. 1783. 8. qui liber, ad historiae fidem magna sentiendi libertate, sed perturbato ordine scriptus, etiam in linguam germanicam translatus prodiit Lips. 1784. Tom. II. 8. Quibus iungi possunt Corn. Guil. de Rhoer *Dissertationes de effectu religionis Christianae in iurisprudentiam Romanam*, quarum *Fasciculus primus Groning. 1776. 8.* in lucem exiit, altero, quod sciam, necdum subsecuto.

Quam ob rem historia ecclesiae Christianae cum fati iurisprudentiae Romanae indiuiso nexu est coniungenda, in quam etiam singularia praeclarissimorum superioris memoriae iurisconsultorum, Iac. Gothofredi, Henr. Valesii, Iust. Henning. Boehmeri, Io. Georg. Pertschii, aliorumque merita, vel ab ipsis theologis, iure meritoque praedicantur, sicut inter veteres illos historiae ecclesiasticae conditores Socrates, Hermias Sozomenus, et Euagrius iuriconsulti fuerunt. ²⁾ Qua quidem re aut omnino neglecta, aut animo a partium studio non satis vacuo, neque a praepiudicatis opinionibus libero in subsidium vocata, vel ipse Bachius, dignissimus ceteroqui disciplinae Ernestianae, etiam in hoc litterarum genere fructuosissimae, alumnus, haud raro humani quid passus esse videri potest. Nolo longius progredi. Tempus enim me ac latera deficerent, si complecti oratione vellem omnia illa litterarum praesidia, et exquisitae doctrinae adiumenta, quibus non dicam perfectus, et omnibus numeris absolutus, sed probabilis modo historicae iurisprudentiae interpres instructus ornatusque, et quam ingenti litterarum quasi flumine inundatus necessario accedere debet ad huius rei ambitum

2) Inslar omnium hic laudari meretur magnum Germanici nominis et patriae nostrae decus, Io. Matth. Schroeckhius in

der Christlichen Kirchengeschichte Tom. I. p. 90. seq. et p. 147. seqq. edit. II. Lips. 1772. 8.

XXXII

bitum cum laude fructuque emetiendum. In quibus sacris initiisque tradendis si omnes ita versarentur, ut ex illis, quos dixi, fontibus genuinas causas tum singularum sanctionum, tum vniuersae legislationis, ab hoc vel illo principe factae, paullo altius repeterent, eamque legum philosophiam cum moribus nostris institutisque comparerent atque contenderent: tum illud, nescio quid, praeciarum ac singulare existeret, et iuuenes, hoc tramite ad penetralia iurisprudentiae deducti, vberimos inde fructus, etiam in vita ciuili, et inter media fori murmura, caperent, et academicae institutionis, tam frugiferae ac salutaris, doctrinaeque vere aetatis incunte collectae, cum suauissimo voluptatis sensu, viri senesque, semper recordarentur. Sed non omnibus, qui in academiis docendi munere funguntur, promiscue haec sacra patent:

Non cuius homini contingit adire Corinthum.

Plura de his aliisque causis intereuntis iurisprudentiae humanioris dicere possemus, Auditores, si et tempus, et locus paterentur. Ceterum quae dixi, non cuiusquam vel leuiter offendendi, nedum maligne rodendi et vellicandi causa, sed optimo in iurisprudentiam liberalem, cuius, ad manuariarum artis quaestusque illiberalis sordes fere depressae, corruptelis indoleo, animo dixi: ea vero huc pertinent vniuersa, ut erectae indolis iuuenes, qui ad hanc litterarum vniuersitatem, tamquam mercatum

tum bonarum artium, accesserunt, et, in optimo aetatis flore constituti, ardentissimis parentum votis, et bonae spei, quam patria cuiusque de fructibus studiorum in academia colligendis, domumque reportandis concepit, satisfacere satagunt, quid suarum partium sit, adhuc in tempore cogitent, et, si quos forte malus quidam abstulit in discendi studendique ratione error, aut caeca et inconsulta talium magistrorum, qui mixtam cum falsa opinione scientiae ignorantiam atque stultitiam, vel inter ipsas mulierculas, produnt, transuersos egit adfectatio, leniter corrigantur, siue potius blande moneantur, et contra pestilentes iurisprudentiae studii opiniones mature muniantur. Quod nequitiae magister Ouidius ^{a)} de voluptatum illecebris, iuuentuti in academia praecipue fugiendis, cecinit, id longe alio sensu, seuerae in litteris proficiendi rationi adcommodatum, quotidie in ore illorum animoque versetur:

Vtendum est aetate: cito pede labitur aetas,

Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Ex his autem, quae diximus, simul et illud intelligent omnes, quibus de studio iurisprudentiae sententiis adolescentibus a me, doctore priuato, hucusque fuerint imbuti,
et

a) Ouidius *Lib. III. de Art. Am. v. 65. seq.*

XXXIV

et a me, antecessore in hac academia publice constituto, si mihi operam dare, frequentioresque ad scholas meas publicas priuatasque confluere velint, vt persona, quam nunc sustineo, dignum est, acriori etiam studio, et maiore animi contentione in posterum imbuentur.

Hanc tu, quaeso, mihi mentem perpetuo serua, Deus Optime Maxime, cui pro tot tamque luculentis tuae in me propitiae voluntatis ac prouidentiae singularis documentis, quibus vita mea, in hac academia tot annos transacta, abundauit, hodierno die in hac concione gratias maximas et immortales publice ago, et, dum anima spirabo mea, sempiternas habebo. Quod bene ac feliciter mihi, huic almae studiorum meorum matri, ac studiosae litterarum iuuentuti euenire iubeas, personam mihi impositam nunc promptus alacrerque suscipio, teque, magnificentissimum omnium bonorum largitorem, piis castisque precibus supplex veneror, vt mihi in omnibus muneris partibus rite obeundis volens propitiusque adsis, omnibusque meis conatibus ac studiis numen nutumque diuinum adnuas. Tuere ac protege potenti tuo praesidio tuae inter nos potestatis vicarium, Serenissimum Principem Electorem, FRIDERICVM AVGVSTVM, Patrem Patriae Optimum, ciuium suorum amorem ac deli-

licias, vna cum Coniuge Serenissima, et Filia Dulcissima, totaque Domo Augusta, et hunc talem Principem, carissimae patriae nostrae diuinitus concessum, qui bene rempublicam, qui ex vtilitate omnium regit, qui hanc nostram literarum vniuersitatem summa beneficentia fouet, qui etiam meam ipsius sortem, nouo nuper beneficio indulgentissime in me collato, hilariorem reddidit, meumque animum spe laeta recreauit, omnibus rebus, quibus principum felicitas censetur, domi forisque semper florentissimum praesta, serisque nepotibus ac nepotibus saluum, sospitem atque incolumem serua. Respice propitio numine Illustrissimos Principis Amicos, quorum consilio, prudentia, fide, vigilantia res Saxonicae stant vigentque, eosque, amplissimis maximorum de vniuersa patria meritorum praemiis ornatos cumulosque, in publicae rei commodum, et literarum emolumentum, diutissime conserua. Complectere fauore tuo Supremum Senatum Ecclesiasticum, firmissimum purioris religionis et libertatis Euangelicae in imperio Germanico fulcrum, cuius prouida cura pro salute ac dignitate rei academicae et scholasticae in terris nostris excubat, Summisque huius sacri confessus Viris laetissimos ac saluberrimos consiliorum et actionum omnium successus largire, vt, te adiuuante, eam nostrae ecclesiae, quam tempus et necessitas flagitat, opem adferre possint. Serua communem patriam in eo pacis ac tranquillitatis statu, in quo tumet

ipse benignissime eam collocaſti, cuncta pericula ac mala a finibus eius propelle, contra vero promoue ciuium concordiam, urbium celebritatem, agrorum fertilitatem, frugum vbertatem, commerciorum florem, omnium rerum publice priuatimque adfluentiam. Hanc autem academiam, Saxoniae ocellum, humaniorum literarum ac bonae mentis ſacrarium, fortunare perge, eiusque ſamam, quam per tot ſaecula in vniuerſo terrarum orbe, doctorum in omni diſciplinarum genere excellentia atque celebritate, iuuenum vndique conſluentium diligentia atque humanitate, illibatam obtinuit, in dies magis magisque auge.

Nunc Te adpello, qui hoc ſemestri rebus noſtris cum praecipua prudentiae, grauitatis dexteritatisque laude praees, Reſtor Academiae Magnifice, Tibique pro inſigni hoc fauoris in me Tui argumento, quod huius diei ſolemmitatem perhonorifica Tua praefentia illuſtriorem ſplendidiorumque reddere voluiſti, obſtrictiſſimum, vt debeo, animum proſteor. Erit hic magiſtratus Tuus cum Tibimet ipſi ſemper maxime memorandus, tum academiae noſtrae fauſtiſſimus, et candidiſſima merito in factis noſtris nota inſigniendus, propterea quod, excelsa Principis noſtri liberalitate atque munificentia, Reſtore Mathematico, exſtruetur ſpecula ad lucida caeli ſidera diligentius curioſiusque obſeruanda, nouum Lipſiae ornamentum,

mul-

multis multorum votis diu expetitur. ^{b)} Hanc Tibi laudem rectoratus Tui singularem gratulor, summumque numen quaeso obtestorque, vt Te senectute ab eius incommodis vacua, sine morbo, sine dolore, sine vlla causa

E 3 que-

b) Qui hoc tempore ad almae nostrae litterarum vniuersitatis gubernacula fedet, Vir Magnificus, GEORGIVS HENRICVS BORZIVS, Matheseos Professor Ordinarius, et Academiae Decemuir, sexennio abhinc auctor suaeque existit academiae, vt in conuentu ordinum Saxoniae, qui tum agebatur, Serenissimum Ducem Electorem de specula astronomica Lipsiae exaedificanda suppliciter adiret. Quas quidem preces Indulgentissimus Princeps statim benignis auribus audiuit, et a. d. IX. Febr. A. 1699. academiā de modo ac ratione rei perficiendae, et necessariis in illam sumptibus desiderium suum clarius diligentiusque exponere iussit. Idem deinceps aestate eiusdem anni duplici rescripto a. d. IX. Iul. et a. d. XXIV. Aug. emissio fuit repetitum. Arx ad Plissam va-

lida est laxaque turri munita. Haec ad moliendam caeli seruandi speculam aptissima iudicatur. Iam variae operis formae, et sumtus ad id totum absoluendum necessarii conspectus exhibentur. Tandem, superatis omnibus difficultatibus, remotisque impeditis, descriptionem operis a Dauthio, peritissimo apud nos elegantissimoque architecto, factam, et Borzio pariter atque Hindenburgio, Viro Excellentissimo, Physices Professore Ordinario, probatam, Serenissimus Princeps rescripto a. d. XXIII. Octobr. A. 1699. clementissime confirmat, et sex milibus imperialium munificentissime erogatis, diuinis illis curam gerentibus, Dauthio vero artem praeflante, laeta nuper eius rei facta sunt initia.

XXXVIII

querelae, stipata studiis iuuentutis, diuissime frui, multorumque annorum accessione cumulatam, et vitae gloriaeque saturum, fero redire iubeat in caelum, quod, innumerabilibus distinctum exornatumque signis et luminibus, oculis contemplari, et immensam supremi tantorum operum architecti et moderatoris potentiam et sapientiam animis admirari, sublimioris astrorum doctrinae studiosos praeclare docuisti.

Iam vero ad Vos mea properat oratio, Collegii Iuridici Perillustris Praefes, Tuque Senior Illustris, Vosque ceteri Adfessores Excellentissimi atque Consultissimi, Patroni summa obseruantia colendi, quorum diligentissimae commendationi, et grauissimae suffragationi spartam, Serenissimi Principis iussu mihi mandatam, debita gratissimi animi testificatione refero acceptam. Velim illud Vobis maxime persuasum habeatis, nihil unquam prius mihi antiquiusue fore, nisi hoc, ut prouinciam publici in hac academia doctores, quantum quidem ingenio coniti, et impigro labore, in huius corpusculi tenuitate, contendere potero, ornem, eaque me ita dignum praestem, ut Vos Vestri de me iudicii numquam poeniteat. Faxit deus immortalis, perennis aeternusque omnium bonorum fons et scaturigo, ut Vobis prosperrima quaeque atque exoptatissima nullo non tempore contingant, familiarum vero Vestrarum decus ac splendor lactius quotidie efflorescant.

Ma-

Maneat Illustre Iurisperitorum Lipsiensium Collegium,
quod omni aetate fuit, sanctissimum in Saxonia Iustitiae
templum, ac totius Germaniae, et exterarum nationum
nobilissimum oraculum!

Vobis autem, quotquot ex omni ordine adestis, Viri
diuinae humanaeque sapientiae Consultissimi, in quibus ego
complures patronos, fautores, amicos, pietate veneror,
obseruantia prosequor, caritate complector, me deuin-
tissimum sentio, quod propensissima in me voluntate
meae religionis publice significandae testes esse, Vestraeque
optatissima praesentia haec auspiciorum capiendorum sol-
lemniter condecorare voluistis. Cuius Vestrae in me hu-
manitatis, qua nihil mihi potuit accidere illustrius, me-
morian colam beniuolentia sempiterna, Vobisque pro-
mitto ac spondeo, me quamcumque referendae gratiae
occasionem cupidissime esse arrepturum, neque vllum
vniquam aut studii erga Vos aut officii genus intermissu-
rum. Seruet Vos deus academiae, vrbi, ecclesiae, curiae,
foro, patriae vniuersae, in publicae rei praesidium atque
ornamentum, et in Vestrorum omnium solatium et gau-
dium, ac Vestra honestissima studia atque praestantissimas
actiones largissimis praemiis remuneretur.

Ad Vos denique, Carissima mihi Pectora, Iuvenes
genere, ingenio ac virtute Praestantissimi, qua potius
in

in hoc muneris mei aditu oratione utar, quam ut Vos omnes amantissime excitem ad excellentem liberalis doctrinae cupiditatem, et ad ea, quae optimis artibus atque disciplinis in academia sedulo excolendis, et, curriculo academico feliciter confecto, ad usum apte transferendis, aduersantur, fugienda et procul amolienda. Nolite oculos ad prauam eorum consuetudinem flectere, qui, pestilenti quodam sidere adflati, irreparabile tempus, quod exiguo paucorum annorum spatio terminatur, pudenda ignauia ac turpi otio, rerumque ludicrarum puerili consuetudine perdunt: sed in eo potius omnes curas cogitationesue defigite, ut in hac viridi aetate ea Vobis futurae vitae praesidia et adiumenta comparetis, quibus instructi, ubi ad usum rerum perueneritis, suae quisque patriae utilissimam operam nauare possitis. Vosque in primis, qui castae Themidi tempus studiumque consecratis, vehementer non cohortor modo, sed etiam rogo atque obsecro, ne in vulgarium compendiorum angustiis consistatis, sed ut rectam illam, quam mea Vobis breuiter ostendit oratio, masculae et liberalis iurisprudentiae viam ineatis, et ad solidam atque ex ipsis fontibus haustam iuris doctrinam, non saltu, nec praecipiti cursu, sed continuo gradu, peruenire contendatis, atque ideo per omnia disciplinae nostrae latifundia vagari, et vniuersum eius ambitum emetiri, animoque complecti sustineatis. Quod si meum Vestris
ratio-

rationibus inferuendi studium 'adiuuare' volueritis frequentia ac beniuolentia Vestra, habebitis sane me, in illo itinere recte instituendo, fidum vel ducem vel comitem: et, si quantum ego ad docendum, tantum Vos ad discendum diligentiae adferetis, efficere conabor, vt haud poenitendos ex mea disciplina fructus capiat. Numen autem benignissimum precor, vt Vobis, Commilitones Optimi, ad insignem adcuratae doctrinae laudem praeclara mentis contentione ~~grassantibus aspiet~~, felicissimumque studiorum academicorum successum, et digna aliquando diligentiae praemia largiatur. O felices et fortunatos iuuenes! qui studiorum sedem nacti estis Lipsiam, quae et sua ipsius pulchritudine, et prouidentia magistratus urbani, et amoenitate regionis Musis nostris gratissimum domicilium, et sicut modicis copiis et amplis opibus plurimas et commoditates vitae et suauitates, ita etiam egestati et inopiae tutum perfugium, et multiplex molestiarum leuamentum praebet. Quapropter praecipuis illis bonis, quibus haec vrbs, cui faueat deus, abundat, in vtraque fortuna vtimini fruimini, et quod Vobis intra illius moenia vitae academicae curriculum decurrere fortuna faurice contigit, in magna felicitatis Vestrae parte ponite. Vos autem, qui, in magna discendi cupiditate, ac flagranti litterarum amore, angustam paupertatem patimini, ac saepe, curarum mole pressi, et inter spem

F

me.

XLII

metumque dubii, de progressu atque exitu studiorum intimis sensibus angimini: nolite animum despondere, sed, fiducia in deo, his malis laetum aliquando finem certissime daturus, collocata, inactum timorem mittite, ac, tristibus licet iactati fatis,

Durate, et vosmet rebus servate secundis.



Leipzig, Diss; 7786 K-z

ULB Halle 3
004 810 341




f

Sb.







20

1786, 24.
P

ORATIO
DE
INTEREVNTIS
IVRISPRVDENTIAE HVMANIORIS
CAVSSIS

SOLLEMNIBVS MVNERIS AVSPICIIS

A. D. XXV OCTOBR. A. C. MDCCCLXXXVI

P. 4.

IN AVDITORIO IVRISCONSVLTORVM

RECITATA

A

CHRIST. GOTTL. RICHTERO

IVRISCONSVLTO ET ANTECESSORE



LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

